

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jakob Helwig Daniel Schuman

Dissertatio Politica, De Bello

Rostochi[i]: Richelius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740015362>

Druck Freier  Zugang



R u theol 1658

Helwigii, Jacobus, Mus
Kst. Schumann, Daniel Rep.



J
Herr Helwigius Jacobus
Rep. Schumann, Daniel

R.M. theol. 1658

379
45

DISSERTATIO POLITICA, **D E** **B E L L O,**

Quam
JUVANTE DEO PACIS,
Consentiente Amplissima Facultate Philosophica,
in Inclita Varmiacâ,

P R A E S I D E ,

V I R O

Praclarissimo ac Excellentissimo

D N . M . JACOBO HELWIGIO,

S S . Theol . Candidato , ac vocat . Reet . Gymnas . Berlin :
dignissimo , Consalino , Fautore ac studiorum suorum
Promotore summoperè suspicioendo ,

Publica placidæq; Eruditorum lymæ submittit

DANIEL Schuman /

Conicensis Prussus ,

AUTOR & RESPONDENS ,

Ad diem proximum XVI . Januarii ,
Anni recentis clo I o c LVIII .


In

Majori Philosophorum Acroaterio ,
horis ab VIII L. antemeridianis .



ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii , Senatus Typog :





JUVANTE PRINCIPE PACIS!
DE
B E L L O
DISSERTATIO POLITICA.
Procœmum.



Biqve bodiè Hannibale est ante
porras, nec ullus ferè datur orbis angulus,
qui bellis non perfrepat. Tumorum bom-
bus tympanorum, stridor lituum, clangor
tubarum, sclopetorumq; mugitus omnium
aures circumpulsat. Intrat oculos floren-
tissimarum regionum, urbium, pagorumq;
fumus. Lacrimas ciet largissimas mis-
anda occisorum, mutilatorum & ad restum ab amplissimis redditibus
redactorum facies. Territat mentes immanis illa barbaries ac sa-
vicia, quæ in Christiana exercetur viscera. Scilicet illa jam sunt, illa
instant tempora, qvibus complementum suum vaditica Salvatoris vox
assequitur. Audiuntur bella & rumores bellorum, insurgit gens in
gentem, & regnum in regnum. In bellico itaque qvia versamur se-
culo, quo nemini non triste Belli nomen in ore est, quid mirum si &
nos canamus bellicum? Scenæ servire si decorum est, quidn̄ nobis
liceat, ubi bello flagrant omnia, de **B E L L O** bellum movere. Mo-
vebimus certè in præsens, sed placidum, amicum & incruentum,
quamvis de turbulentio, cruento & hostilio. Non Martes hic videbis
aut Hannibales, non uncos, hastas aut muerones sed Clarissimorum in
toga Virorum nomina, & mutuata ab his rationum momenta. Fa-
ciat expeditioni nostræ Dominus Exercituum!

A 2

De

DE BELLO itaqve disquisituri, auspicabimur more recepto ab explicatione nominis, tractationem nostram. Et originem quidem suam unde *Belli* vox arcessat, de eo non una omnium Philologorum est sententia. *Belo* illam nonnulli transcribunt, quem primum omnium gladii ferrei fabrefactionem & usum invenisse ac ostendisse mortalibus credunt: *Bello* alii h. e. pulchro, bono & eleganti: aut per antiphrasim, qvod minimè bellum sit: qvum mala longè plurima, si non per se, saltim per accidens secum vechat: aut propter finem, qvod rei bella s. bonæ, pacis nimirum obtinenda causa comparatum ac suscepsum sit: aut propter Adjunctum, qvod bella ut plurimum ita gerantur, ut bella ex iis & pulcra spolia domum ferantur ac deportentur. Sunt & alii, qui commodius fieri censem, si à Græco Βέλον, qvod telum notat s. jacula, vocem hanc deducant, eò qvod in bello cum primis maximus telorum & armorum usus sit. Neque tamen probatur hoc illis, qui à beluis ob beluinam rabiem & lanienam in bellis exerceri solitam, Bellum volunt deductum. Nobis, si dicendum est qvod sentimus, nulla harum notationum proba videretur & accurata. Allusiones eas esse, illoq; nomine tolerari posse non negamus. At pro derivationibus strictè & propriè dictis venditare non possumus. Antiquitatis enim Romanæ nisi floccifacere velimus autoritatem, multò commodiorem & veriorem ab illa videbimus nobis exhiberi. Qvod enim bellum nobis hodiè est, id *Duellum* erat antiquis, sicut bis duis, & bonus duonus. Testem citamus Vatem Lyricum, qui de decennali bello Trojano differens, lenti duelli appellatione illud describit *l. i. Epist. ii. v. 7.* Ut ergo à duobus dicta Duelli vox est, ita & ipsius Belli, ex priori illa savitatis & aurium causa, immutata. Licet enim in bello, non duæ solùm personæ congregiantur, congregiuntur tamen duæ partes, duo exercitus.

II. Constat autem significationem vocis Belli non unius esse generis. Jam enim generaliter accipitur pro qvavis contentione & rixa, sive ea inter personas intercedat publicas, sive privatas, inter se dimicantes. Jam *specialius* aut pro discordia Civili truculentiore & diuturniore Subditorum, sive inter fese, sive adversus Principem legitimum dimicantium, qvam bellum alias internum s. Cive

vile vocant; quale erat inter Absolonem & Davidem, Syllam & Marium, Cæarem & Pompejum: Aut pro tumultu & motu subito Subditorum adversus Magistratum legitimum, cuius jugum sine præparatione & indictione excutunt: qualis erat Israëlitarum adversus Rehabeamum I. Reg. XII. Jam *specialissimè* pro justa armorum publicorum adversus extraneos & alienigenas contentionem, qvod bellum alijs publicum s. externum dicitur. Nos hīc missis prioribus acceptationibus, ultimam amplectimur, & ita Bellum describimus, qvod sit *hostilis duorum publicorum exercituum, ad injuriam s. propulsandam s. vindicandam, à Magistratu, pacis retinende vel consequende causa, legitimè suscepta contentio.*

III. Atque tale bellum qvin omni jure sit licitum, eò minus dubitamus, qvò leviora animadvertisimus esse fundamenta, qvibus subvertere hanc sententiam multi & hoc nostro, & præteritis seculis sunt conati: Aciem horum ducunt Manichæi, qvos Augustinus testatur bellum sua natura dixisse illicitum. Seqvuntur Anabaptistæ, verbis non factis, omne bellum improbantes. Accedit cum suo manipulo Weigelius, prolixam post se trahentes lixaram calonumq; turbam. Agmen tandem claudunt, qvibus pestilentiores hæreticos mundi oculus vix unquam adspexit, Sociniani. Qvorum sententiam expressurus Smalcius *contra Franzium p. 393.* Qvod, inquit, bella gerere liceat, negamus, & indignum Christiana pietate esse contendimus. In horum verò omnium fundamenta quando inquirimus, ruinosa ea & lubrica esse deprehendimus, cum plerique aut vindictam publicam confundant cum privata, aut usum cum abuso. Nos cum seniori Theologorum pariter ac Politicorum Choro, nec iuri naturæ, nec gentium, nec divino bellum repugnare asserimus. Inter prima enim naturæ (verba sunt Grotii *l. 1. de Jure Bell. & Pac. c. 2*) nihil est, qvod bello repugnet, imo omnia potius ei favent. Nam & finis belli, vitæ membrorumq; conservatio, & rerum ad vitam utilium aut retentio aut acquisitio illis primis naturæ maxime convenit. Et vi ad eam rem si opus sit uti, nihil habet à primis naturæ dissentaneum, cum animantibus singulis vires ideo sint à naturâ attributæ, ut sibi tuendis juvandisq; sufficient. Cum qvibus facit, qvod Romanæ eloquentiæ Dictator *l. 1. de fin. fatetur, qvod simul atque natum est animal, ipsum*

A 3

sibi

sibi concilietur, & commendetur ad se conservandum atque suum statum, & ad ea, quæ conservantia ejus status diligenda: alienatur vero ab interitu iisq; rebus quæ interitum videntur ipsi adferre.

IV. Hinc jam naturali ratione inter omnes homines constitutum illud jus est, & apud omnes peræqvè custoditum (quam Juris gentium definitionem tradit: Imperator Inst. l. 1. tit. 2. §. 1.) ut licet at vim illatam vi propulsare. Docent illud historiæ & omnium populorum leges pariter atque mores. Unde illud Juris Romani pronunciatum l. Scientiam 45. §. 4. ff. ad legem Aquil. Vim vi defendere omnes leges, omniaq; jura permittant. Ex jure autem divino quod non suppetunt pro stabilienda thesi nostra testimonia? Ex sole verteri fœdere vel sexcenta colligere liceret & producere in aciem, siquidem id ferret præsentis instituti ratio. Excipiunt quidem contra illa nominati superius levis armaturæ milites, quod nihil ad Christianos faciant sub novo fœdere viventes, cum Evangelio è diametro adversentur, atque ita abolita sint & abrogata. At inepta planè & invalida est hæc exceptio, nec quicquam putidæ ac desperatae causæ adfert præsidii. Ut enim taceamus, gratis & cum insigni petitione principii adseri, sublatum sub novo fœdere illud esse, quod ipsum jus naturæ & leges rectæ rationi conformat inculcant: præsto omnino sunt longè plurima etiam ex novo instrumento loca, in quibus bella haud obscurè legimus adprobata, conf. cum primis Luc. III, 14. cap. XIV, 31. Matth. VIII, 18. Act. X, 1. De quorum genuino sensu explicando & à strophis fanaticorum istorum vindicando conf. DD. Theologos, Chemnitium part. II. L. C. p. 173. Gerhard. de Magistr. polit. §. 379. 381. Calov. Socinianism. profig. p. 995. seq. & alios.

V. Belli autem susceptionem quando licitam statuimus, de eo loquimur bello, quod paulo ante descripsimus, h. e. *justo, necessario & legitimo*. Illegitima enim omnia, quocunq; tandem veniant nomine, aut quacunq; pingantur cerussa, detestanda meritò veniunt, & improbanda penitus. Ad bellum autem justum & legitimum quatuor reqviri communi ferè consensu & uno ore tradunt Politici: *Justum sc. & legitimum Autorem, legitimam caussam, legitimum belligandi modum, & legitimum finem*. *Autor legitimus est Princeps*.

Princeps vel Magistratus, qui superiorem non agnoscit. Superiorum enim qui habet, si ab alio afficiatur injuria, ad illum potest recurrere, & ab eo auxilium sibi ac opem adversus lèdente deposcere. Supremam autem potestatem qui obtinet, & Majestate est prædictus, sive Magistratus sit Monarchicus, sive Aristocraticus, s. Democraticus (neque enim soli Regi Majestas competit, sed & omni Reipubl. perfectæ) penes illum residet suscipiendi belli autoritas. Cum enim bellum vindictæ publicæ s. divinitus mandata pars & summus gradus sit, hæc autem ad potestates supereminentes pertineat, Rom. XIII 4. I. Pet. II, 4. Belli etiam & armorum jus non nisi illis tribuere licebit. Et cuius alias est, illud, quod ad perfectam Reipubl. administrationem in statu turbato pariter ac pacato reqviritur, exequi quam summi Magistratus? Hic enim eo ipso, quod summus Magistratus est, præsumitur omne illud præstare & posse & debere. Cum alias frustra tam splendidum gereret titulum, & frustra omnis Reipubl. cura ipsi esset permissa. Hinc inter Regalia I. Jura Majestatis majora haud postremum apud Politicos locum obtinet jus tractandi arma, consistens non tantum in cura armamentarii publici, sed quoque in potestate disponendi & statuendi de indicendo ducendoq; bello. Hinc quoque Romulus præter alia munia, Regi Romanorum summum attribuit in bello Imperium, teste Dionys. Halicarn. l. II. Antiq. Rom p. 87. Vid. Reinking. de regim. Secul. & Ecclesi. l. II. claf. III. cap. I. n. 10. & seqq.

VI. Cum verò nulla regula tam firma sit, cui non aliqua deroget exceptio, ideo & hoc in loco certos qvosdam casus excipiunt Politici, in quibus inconsulto Magistratu summo, inferiori etiam bellum adversus hostes suscipere liceat. Hos ad duo potissimum capita redigimus, si sc. summus Magistratus aut absit, aut ab officio debito recedat. Primi fit, quando Hannibal est ante portas, periculumq; subito & opinione citius ingruit, nec moram ullam patitur. Tunc enim si summi Magistratus auxilium implorari debet, illius verò copia tam citò fieri non posset, facile detrimen- tum irreparabile Respùbl. caperet. In hoc itaque casu extrema illa necessitas sibi ipsi lex est, & inferiores etiam Magistratus arma coget suscipere. Posteriori dupli ratione. Primùm quidem, quando

quando summus Magistratus, quamvis in auxilium vocetur, officii tamen sui immemor injuriam passos spe lactat inani, debitamq; defensionem non præstat. Nam & tune subditis Magistratus summi auxilio destitutis, se adversus vim intentatam aut illatam defendere licet. Poscit enim id jus naturæ, qvod sui defensionem omnibus inculcat. Requirit præsentissimum periculum, cui nisi illa ratione eatur obviam, totalis metuenda erit excisio, ruina ac interitus. Deinde tunc quoq; à debito officio recedere creditur Princeps s. Magistratus summus, quando manifestam exercet tyrranidem, ipsaq; Reipubl. fundamenta convellit, & eversam illam cupit ac pessumdatam. Licet enim in hoc casu illis, qui merè sunt subiti, sicq; jus gladii non habent, integrum non sit arma capere, illis tamen subditis, qui simul Magistratus subordinati vicem sustinent, ac in partem solitudinis & curæ Reipubl. admissi sunt, convenient, solicite providere, ne Reipubl. aliquid patiatur detrimenti, & si aliter fieri non possit, captis pro salute ejus armis, vita suæ ac fortunis prospicere.

VII. Sed de Clericis & Personis Ecclesiasticis qvid dicendum? Numq; illis bellum licet suscipere ac indicere? Evidem in Synagoga Papali, illud negare, aut de eo saltim dubitare foret. Hinc nihil Canonistis frequentius, quam jus belligandi Papæ & Episcopis concedere. Et gesta superioribus Seculis à Pontifice & Clero Romano bella, qvid docent aliud, quam eum jus bellandi sibi vindicasse? Enim verò quo jure illud fuerit factum, ex iis quæ diximus, non potest esse obscurum. Cum enim ad Jura Majestatis potestas tractandi arma spectet; Pontifex autem cum Clero suo Majestatem nullam habeat, sed Imperatori Romano sit subiectus, (qvod probantem vid. Reinking. de regim. Sec. & Eccl. l. I. cl. II. c. 4. 5. 6.) neque jus scribendi militem bellumq; suscipiendi ei competit. Conf. D. Gerhard. l. de Ministr. Eccl. § 195. seqq. & l. de Magistr. polit. § 398. Atque idem de omnibus in universum personis Ecclesiasticis venit asserendum, cum eadem sit de illis quoq; concludendi ratio. Imò verò ne interesse qvidem illas ita bello convenient, ut cum hoste configant & pugnent. Aliud namque earum poscit munus, à militari munere distinctissimum, tam Objecto quam Fine & Officiis. Arma qvidem ipsis sumenda sunt,
obligata

sed spiritualia non carnalia. Interesse bellis possunt, sed ut intra limites officii sui se coērceant, illudq; prædicatione verbi, administratione Sacramentorum & piis precibus exeqvantur. Alioqui, sicut non licet militi suggestum descendere, & munia Ecclesiastica exeqvi; Sic nec Ecclesiasticas personas decet officiis militaribus & occisioni hominum vacare. Neque enim probare possumus, qvod Hœnorius Disp. Polit. VIIl. p. 338. existimat, debere ministros Ecclesia in bello non tantum concionari, & mores hominum militarium observare & corrigere; sed quum possunt, pugnare, & ipsos quoque armatos, & quidem fortiter pro Rege suo, pro aris, pro fociis, pro Republ. pro patria, in qua sunt Cives vel nati vel adscripti. Interim si subiraneus casus & extrema necessitas postulet, defensio, quam jus naturæ ipsis imperat, etiam armata manu, illis non est illicita.

VIII. Non autem ad bellum justum & legitimum sufficit, ut à legitimo Autore suscipiatur, sed quoque ut iustæ illius suscepti adsint causæ. Ut enim supplicium illud non censemur justum, quo privatus aliquis capitis damnatur, nihil tale meritus: Ita nec bellum justum & legitimum, si causa ejus non adsit legitima & sufficiens. Est autem iusta belli causa, nulla alia, nisi *injuria*, non quævis, sed magna gravis & atrox, non incerta & ambigua, sed *indubia* & manifesta. Ut enim non ob quodlibet leve & exiguum erratum, aut nondum satis probatum, pœnam capitis privato Magistratus decernit, si justi & æqui velit esse studiosus; Ita multo minus parva aliqua, nec satis certa *injuria* tam gravem & atrocem meretur vindictam. Itaque omni studio circumspiciendum Magistratui, & examinandum, sitne illata *injuria* tanti momenti, ut propter illam bello adoriri liceat inferentem. Si dubia adhuc illa sit, nec satis explorata, bellum decernere injustum est & nefas. Sin vero certa, tamen ne sic quidem statim ad arma prosiliendum. Quid potius omnia prius tentanda media, & debita restitutio vel satisfactio à lœdente pacifice petenda. Qvod si tamen sic nihil proficiatur, nec ulla alia remedii spes adfulgeat, tunc deum urendum & secundum, Medicorum exemplo, qui non nisi *extremè* desperatis morbis extrema adhibent *remedia*.

IX. Quia autem bellum duplex est, *defensorium* sc. & *vindictorium*;

B.

vindictorium;

torium; Hinc causam etiam belli constituimus duplarem, defensiam & vindicatoriam. Illa est injuria nondum qvidem illata, sed intentata s. subditis s. fœderatis & Sociis. Subditi impetruntur, vel ob regionem, vel ob religionem. Regionem armis defendi debere, jus naturæ pariter ac gentium postulat. Tuetur speluncam suam leo, quam sibi de legit, nec patitur se ex ea proturbari. Et abjectissimæ Aviculæ pro nidulis suis, quos, ut tutores essent, sibi construxerunt, ad mortem usque decertant. Patriæ verò quam sancta sit omnibus gentibus observantia, tot testantur effata, quibus dulce & decorum esse pro Patria mori, eamq; defendantibus locus in cœlo destinatus dicitur. Ob Religionem verò tuendam, quin bellum suscipi possit, ed minus est dubitandum, quo certius est tendere illud ad conservandam D'El gloriam. Quamvis enim religio in se spirituale bonum sit, & propterea armis carnalibus & corporeis defendi non possit: Ipsum tamen religionis exercitium & cultus liber à vi externa & insultu impedientium rectè armis defenditur, velut loquitur Reink. l. II. cl. III. c. 2. n. 3. Hinc Judæos legimus, Hierosolymas, cultumq; in illis divinum restauratos armasse se adversus hostes suos. Nechem. IV, 13. Non multum dissimilis est ratio fœderorum socrorum, si & illorum religio vel regio periclitetur. Quia enim cum illis foedus initum est mutuæ defensionis, ut auxilia prætentur equitum, peditum & navium, iidemq; hostes & amici habeantur, fides omnia servanda est intemerata. Qvod si verò fœderati bellum suscipiant injustum, ad illud non obligatur Magistratus Christianus, ne alieni criminis se faciat participem. Cum autem nonnunquam contingat, ut duo vel plures Magistratus bella gerant, quibus fœderatus est tertius, quæritur utri illorum auxilium ferri debeat? Ubi placet nobis responsio Dn. D. Micrælii in Reg. Pol. Scient. disp. XVI. q. 5. Si inter se commituntur utrinque injurias causis nulli; Sin pugnant adversus extraneos, præfertur cum quo antiquius est fœdus. Cæterum qvod de fœderatis diximus, illud generatim de iis quoque omnibus dici posse videtur, qui vel vicinitatis, vel Christiani nominis, vel alio quo vis communitatis vinculo sunt devincti. Postulat enim id lex tam naturæ, quam Christianismi, quæ ad Charitatem & mutuam defensionem omnes obstringit.

X. **Causa belli vindicatoria est injuria jam illata.** Hujus enim vindicatio

vindicatio vel ideo Magistratui est permitta, qvia gladium gerere ad vindictam dicitur ab ipso Paulo Rom. XIII. Censetur autem à Politicis, illata esse injuria, si bona per vim sint erepta, nec viâ juris recuperari possint: Si foedera & pacta ab altera parte sint violata: Silegati, qvos inviolabiles esse jus gentium reqvirit, contumeliosè fuerint tractati: Si publicorum flagitorum vindicatio fuerit neglecta: Si conjunctio facta cum hostibus &c. Qvibus addit Reink. c. I. n. 30. seqq. Si subditi sint contumaces, & judicio ordinario se submittere nolunt, nec nisi armata manu contineri possint; Si sint rebelles & adversus Magistratum insurgant: Si transitus innoxius, qvi jure humanæ societatis deberunt, aut transeuntibus alimenta necessaria, etiam refuso pretio, denegentur. In qvibus tamen omnibus, cautione insigni opus est, ne ex qvavis injuria, etiam levicula effingatur belli causa. Propter varietatem enim circumstantiarum, qvod semel justum est, alio tempore potest reddi injustum. Non itaque nisi probè ponderatis & expensis circumstantiis omnibus, & frustra tentatis remedii, de bello qvicqvā decernendum.

XI. Sicut autem infinitis modis à vero & recto aberrare contingit, sic & longæ plurimæ dantur causæ pretextum tantum juris, & speciem justi habentes, qvæ propterea bellum justum non constituunt. Refert eas ad duo summa capita Sallustius bell. Catil. princ. Avaritiam sc. & libidinem dominandi. Tunc enim ubi vita hominum sine cupiditate agitabatur, & sua cuique satis placebant, pacem fuisse dicit: Postea verò, qvālibet libidinem dominandi cuperunt causam belli habere, maxumam gloriam in maximo imperio putare: Tum demum periculo atque negotiis compertum esse, in bello plurimum ingenium posse. In specie verò huc spectat metus incertus ex crescente vicini potentia, cupiditas melioris soli, negatum matrimonium in magna seminarum copia, imperandi pruritus & libido, commodum privatum, & alia qvæ vide apud Hug. Grot. de J. B. & P. I. II. c. 22. & D. Micræl. reg. polir. scient. disp. XX. th. XI. Adnumeranda his etiam infidelitas gentilis & diversitas religionum. Nam neqve hæ justæ suscipiendi belli causæ esse possunt, cum fides non hominis sed solius DEI donum sit, nec humanis armis sed Divina gratia propagari queat. Qvam in rem egregium est & æterna memoria dignum, illud Stephani Regis Poloniae pronunciatum; Nolle se conscientiis dominari,

B 2.

siquidem

Si quidem solus DEUS hæc sibi reservârit: Creare aliquid ex nihilo; nosse futura, & dominari conscientijs. Et illud Maximiliani II. Imperatoris Romani; nullam maiorem esse tyrannidem, quam imperare velle conscientijs. Non igitur probari potest immanis illa crudelitas, quam Hispani in Americanos, à quibus nunquam læsi erant, aut injuria affecti, non ita multis abhinc annis exercuerunt; de qua vid. D. Micræl. Synt. Hist. Polit. p. 957. Nec satis recte se habet illa quorundam opinio, qui adversus Turcas propter solam eorum impietatem bellum suscipi posse sunt persuasi. Rectius Hænonius p. 344. Infidelitas, inquit, Turcas & Saracenos rerum dominio non privat: quia infidelitas non tollit jus humanum, ex quo rerum dominia descendunt.

XII. Tertium, quod ad id, ut bellum sit legitimum, requiri supra diximus, est legitimus illud gerendi modus. Requiritur ad hunc I. ut provida de adparatu bellico cura suscipiatur. Adparatus autem bellici nomine intelligimus (1) Pecuniam, quam propterea nervum bellorum gerendorum haud inepte dixeris. Ut enim sine nervis hominem ambulare posse Medici negant, dicente Petronio. in Satyr. Ita nec bellum usquam progredi sine pecunia. Hæc opus est, sive suscipiendum adhuc bellum sit, sive susceptum. Illic ad scribendum militem s. extratum s. domesticum. Hic ad continentendum eundem in officio, & à rapinis ac devastationibus provinciarum cohibendum. (2) Commeatum s. annonam & rem frumentariam. De hac enim nisi mature sollicitus sit Magistratus, milites una cum jumentis suis fame exhausti stationes iuas deferent & vincentur sine ferro, non ab hoste, sed ab ipsa natura. (3.) Instrumenta bellica, sive illa sint arma, ut gladii, hastæ, bombardæ & machinæ fulminales (illis enim velut usu jam receptis in bello uti nihil prohibetur) sive reliqua suppellex militaris, ut currus, funes, pali, ligones, secures &c. (4) Matrum Civium ad tractationem armorum adsefationem, & in certos ordines digestionem. Quo nomine celebris est apud Livium & Florum Servius Tullius. (5) Militum mercenariorum collectionem, tustrationem & automationem.

XIII. Requiritur II. ut bellum alteri partii legitimè denuntietur. Apud Romanos id munus erat Patris Patriat; facialium principis, tradente Alex. ab Alex. genial. dier. l. 5. c. 3. p. 254. apud quem vide quanta solemnitate ac ceremonia bellum à Romanis indictum fuit

erit

erit hostibꝫ. Inter cætera illius & hæc sunt, in rem præsentem facientia: Qvod si cui bellum indicendum foret, aut pia & justa arma movenda, mos Romanus erat, prius res repeti, mox bellum denunciari: quippe quum nullum putarent justum bellum, nisi qvod rebus peritis geratur, aut antea denunciatum foret, & solenni more indictum. Neqve alia etiamnum est Belli indicendi & denunciandi vel promulgandi ratio. Quamvis enim naturali jure, ubi aut vis illata arcetur, aut ab eo ipso, qui deliqvit, poena depositur, nulla requiratur denunciatio, censente G: o: tio l. III. c. III. n. 6. Unde Elianus apud Platonem ait: qvod ad propulsandam vim suscipitur bellum, nō à aduceatore sed à natura indicis. Jure tamen gentium omnino censetur necessaria. Estq; vel conditio-
nata, vel pura. Illa dicitur alio nomine clarigatio, à claritate vocis, quā olim siebat: & conjungitur cum repetitione rerum, ut sc. qui damnum fecit, reddere, aut satisfacere saltem jure faciali ju-
beatur, & nisi amicitiam sibi renunciari bellumq; fieri velit, ab ul-
teriori offensione deinceps abstineat. Qvod si enim hæc ratione im-
petratur satisfactio, qvid opus est dubiam bellum aleam jacere? Sin verò in justè illa denegatur, qvid est qvod contra vim sine vi fie-
ri possit. Hæc specialiter vocatur indicio aut edictum, sitq; cum aut bellum jam alter intulit, aut ipsem ea deliqvit quæ poenam me-
rentur. Utraqve fit vel per faciem s. præconem, quem in vernacula vocamus einen Herold / à Magistratu ad bellum denunciandum mis-
sum, qui fruitur jure legati & inviolabilis est: Vel per literas denun-
ciationis, quas Germani vocant Feind- und Absag-Brieße / per adole-
scentem nobilem atq; tubicinem mitti solitas. De quo & variis ve-
terum circa denunciationem ritibus vide Schönborn. Polir. l. VI c. X.

XIV. Requiritur III. ut actus bellici prudenter & fortiter institu-
antur. Ad prudenteram spectat, ut disponatur exercitus per manipu-
los, cohortes & legiones, turmas item & decurias, sub suis quique
officiariis & præfectis, quorum nomina vid. apud Schönborn. l. VI.
c. XV. & Libenthalium Coll. Pol. exerc. XIV. th. XXX. seq. Cum enim
bis in bello peccare non licet, non minima certè prudentia belli-
ca pars est, dignis atque usu rerum & experientia merentibus offi-
cia militaria distribuere. Nec minima Prudentia pars est, quæ in
ordinanda acie, figendis castris, disponendis vallis, agendis excu-
biis & exercendo milite, debitissq; adficiendo aut præmijs aut paenis

reqviritur. In prioribus qvinqve partibus qvâ utendum cautione sit, prolixè docent illi, qvi de Geodæsia bellica & re militari ex professio scripserunt. *Premia* verò qvibus adficiendi boni & fortis sunt, dicimus cùm Hœnonio *diss. polit.* VII. th. XX. & seq. esse vel honestatis vel uilitatis. Honestatis premia sunt laus, nobilitas, dignitas, corona militaris, aliaq; honoraria similia, torques, armillæ, phaleræ & hastæ. Utilitatis sunt vel communia vel singularia. Illa vel ordinaria, stipendia sc. militaria promptè & tempestivè solvenda: Vel extmordinaria, ut præda hostium, agri, aliaq; dona & munera. Ubi tamen simpliciter probari non potest permisso illa, qvâ Oppida & Urbes militibus dantur in prædam, pro ipsorum lubitu diripienda, eò qvod præter alia plurima horrenda, qvæ inde seqvuntur, in tali disceptione nullum omnino discrimen statuitur inter nocentes & innocentis, qvod ipsum cum justitia vindicativa nequaquam congruit. *Hec* sunt privilegia militum, qvæ etiam beneficia dicuntur, & pertinent vel ad actum inter vivos, sicq; aut personas militum concernunt, aut res, aut utrasqve; Vel ad ultimam voluntatem, ut prærogativæ in testamentis militaribus. Qvæ omnia enumerata vide apud Schönborn. lib. VI. c. XXXI. Utiautem probi & boni præmiis, sic refractarii & delinqventes sunt afficiendi pœniæ, sive gravioribus s. levioribus, s. capitalibus sive non capitalibus, pro commissorum delictorum numero & qualitate. Præter prudentiam verò si uilli virtuti, fortitudini certè maximus in bellis locus est. Et illa qvidem cum in omnibus militibus locum habete debeat, præcipue tamen in Imperatore reqviritur. Nam ut reftè Melch. Junius qvæst. polit. XXI. sub fin. Melior est exercitus Cervorum, duce Leone, quam Leonum, duce Cervo. Et cum exemplis non minus, quam legibus homines ducentur, animo si & fortes redduntur milites, cum duces suos fortes conspi- ciunt. Sed qværis: Sitne viro forti in bello justo insidijs & strategematis milicium? Nos ab adfirmativa non abhorremus, dummodò strategemata illa fiant absqve perfidia. Tunc enim nihil eis in bello utilius est, cum sine periculo & sangvine comparetur victoria. Unde non tantum apud gentes eorum usus omnibus seculis viguit, sed & in Ecclesia cùm Judæorum tūm Christianorum, Reges & Prin- cipes, sanctissimi à pietate sua haud aliena illa esse judicarunt, atte- stante historia sacra pariter & Ecclesiastica. Vid. Heid. Polit. p. 754. Schönb. I. 6. c. XXVII. Wendel. Phil. Pmt. p. 643.

XV.

XV. Ultimum qvod ad bellum justum & legitimum reqviritur, est Finis bonus & legitimus, h. e. talis qvo spectet ut ultimus omnium actionum humanarum terminus, gloria sc. DEI, & qvi congruat iustitiae suscepiti & gesti belli. Esto itaque unica belli meta, PAX, rerum omnium quas novisse datum est homini, optima, cuius & nomen dulce est, & res ipsa cum jucunda tum salutaris. Qvamvis magna, qvamvis diurna, qvamvis periculosa bella fuerint, pace tamen finiantur. Eant ad hanc victores æqvæ ac victi, nisi aliquam iustitiae maculam armis suis velint inurere. Talem autem oportet esse pacem, qvalēm Privernas ille apud Livium l. VIII. in Senatu Rōmano se expectare dicebat, Fidam sc. & Perpetuam. Vid. Lips. Civ. doctr. l. V. c. 19. § 20.

Acqve hæc quidem sunt, qvæ ex uberrima illa Materiæ Bellicæ felicere in præsenti voluimus, prætermisss ex ea longè plnrimis. Non qvod digna non viderentur, qvæ ventilationi exhiberemus, sed qvod in præfixa nobis pagellarum angustia non licuerit plura adjicere, nec libuerit etiam universum illud æqvor tracere. Sufficiat nobis per brevem Belli amici & incruenti material suppeditasse. Qvo

peracto, nihil restat, qvam ut concinamus

GLORIAM IN EXCELSIS DEO.

DE bello, cum bella geris vicinior orbū,
Cum furit horrendis motibus orbis atrox,
Ex priscis recte monumentis differis, inde
Ad normam revocas bella, Schumanne, suam.
Ridebunt bellatores hac talia. Quid rum?
Servant in bellum jus studia ipsa suum.
Quotquot bella suo strepitu crudeliter orbem
Fregerunt, judex nunc Schola docta notat
Et damnat, quæ iustitiæ contraria sanctæ.
Et bellatores poss sua fata premit.
Tu noli bellare minus, Schumanne, sub umbrā,
In lucem semet proferet iste labor.

Amica manu adscrib.

Johannes Georgius Dorscheus, D:

Nunc

Nunc ubi MARTIS habet furor insatiabilis Orbem,
Non malè solicitat te quoque MARTIS opus.

Plurima de bello paucis, SCHUMANNE, revélas,
Et sua militiam jura modumq; doces.

Fædius in bello, quād re peccatur in illa,

Vix solet hic rectam miles inire viam..

Bellum opus est igitur, bellum sic tradere bellè,

Armiger ut methodo bella decente parer..

Hæc tua quæ signas sine cæde & sanguine bella.,

Res ubi cædis erit, cuncta valete piumest..

Politissimo & Eruditissimo D.N. RESPONDENTI,

Amico suo L. M. Q. adscrib.

HINRICUS Dringenberg Phil. Moral. Profess.

& Facult. sue in præsens Decanus.

Si labor & Virtus ducunt ad culmen honoris,
SCHUMANNE, Aonidum gloria magna Chori:

Quod certum tandem sis indepturus honorem,

Et labor & virtus spondet abundè Tibi.

Virtutem teneris semper lectaris ab annis,

Ignea vis animi non nisi magna petit..

Perdus ac pernox Prudentum scripta volutas,

Nec labor est ullus, quem tua dextra fugit..

Est Tibi multorum testis Philyrea laborum,

Quævis Tibi multorum est conciliatus amor..

Svevisti haud paucas insomnes ducere noctes

In studiis, dum Te nostra Rodante tenet..

Jam nunc arma capis, fortiq; lacestere dextra

Hostem non dubitas, sed sine cæde tamen..

Totus Bella crepat nunc Orbis. Bella movere

De Bellis, res est digna labore tuo.

Sit Bellum felix! Labor & Tuus improbus olim.

(Sic precor ex animo) præmia mille ferat!

Testando affectui scr. l. mgf

P R A E S E S.

•(o):(o):(o)


XV. Ultimum qvod ad bellum justum & legitimu
est Finis bonus & legitimus, h. e. talis qvo spectetur ultim
actionum humanarum terminus, gloria sc. DEI, & qui
stitione suscepti & gesti belli. Esto itaque unica belli me
rum omnium quas novisse datum est homini, optimamen
dulce est, & res ipsa cum jucunda tum salutaris. Q
gna, quamvis diurna, quamvis periculosa bella fuci
men finiantur. Eant ad hanc victores & quae ac victi, nisi
justitiae maculam armis suis velint inure. Talem au
esse pacem, quam Prvernas ille apud Livium l. VI
Romano se expectare dicebat, *Fidam sc. & Perpetua*
Civ. doctr. l. V. c. 19. & 20.

Atque hec quidem sunt, quae ex uberrima illa Materi
gere in praesenti voluimus, prætermis ex ea longe plu
qvod digna non viderentur, quae ventilationi exhiberent
in præfixa nobis pagellarum angustia non licuerit plura
libuerit etiam universum illud & quovadis trahere. Suffici
brevem Belli amici & incruenti materiali suppedita
peracto, nihil restat, quam ut concinamus

GLORIAM IN EXCELSIS DE

De bello, cum bella geris vicinior orbis,
Cum furit horrendis motibus orbis atrox,
Ex prisca recte monumentis differis, inde
Ad normam revocas bella, Schumann
Ridebunt bellatores hac Italia. Quid tunc?
Servans in bellum jus studia ipsa suum.
Quotquot bella suo strepitu crudeliter orbem
Fregerunt, judex nunc Schola docta nota
Et damnat, qua justitia coniraria sancta,
Et bellatores posse sua fata premis.
Tu noli bellare minus, Schumanne, sub um
In lucem semet proferet iste labor.

Amica manu adse
Johannes Georgius Don



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. [redacted]